



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quanto in errore versentur, qui simulachra colunt. Cap. IIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

CONSTANTINI ORATIO

Tolleretur etiam dies, & requies quæ eam sequitur nocturna. verùm de his satis. Redeamus iterum ad eum sermonem, qui à nemine omnino possit refutari.

Quanto in errore versentur, qui simulachra colunt.

CAP. IIII.

OMne quod principium habet, habet etiam & finem, principium quod in tempore existit, appellatur ortus. Quæ verò oriuntur, intereunt occiduntque omnia: formam autem temporis delet longinquitas. Qui igitur poterit fieri, ut qui mortali fatu eduntur, immortales existant? verum talis quædam opinio per animos imperitæ multitudinis peruasit, ut putet inter deos nuptias fieri, liberis operam dari. Quòd si qui procreati sunt, immortales sint, semperque de integro noui procreentur, genus illud extra modum propagari necesse est. Et cum semper sobolis fiat accessio, quod cælum, quæve terra tantum deorum, ut ita dicam, examen in lucem susceptum poterit capere? Quid porro dicemus de hominibus illis, qui fratrem & sororem cælestes nuptias contrahere volunt, idemque adulterij & intemperantiæ vitia in illis reprehendunt? dicam audacius, honores eos, & munera ab hominibus illis tributa, flagitiorum & libidinum turpitudine admista redundare. Iam vero, quis arte exquisita præditus statuarius, qui cum speciem quandam & figuram mente & cogitatione comprehendit, non perpolitum & artificiosum opus edat: idemque obliuione ex temporis interuallo interiecto obrepente, operi à se effecto blandiatur, idque colit, ut immortalem Deum, cum tamen facile fateatur seipsum, qui mortalis est, eius statuæ architectum & tanquam parentem fuisse. Quinetiam sepulchra & tumulos eorum, qui interitu deleri non possunt, ostendunt, & morte extinctos honoribus immortalibus colunt, dum ignorant illud, quod est re ipsa beatum & immortale, non egere veneratione ea, quæ à mortalibus tribui solet. Nam quod potest intelligentia solum perspici, & comprehendi mente, nec appetit formam, qua cognoscatur, nec figuram admittit, ut imaginem & effigiem. Verum ista omnia ad gratiam mortuorum referuntur. Dum enim vixerunt, homines erant, corporum compagibus inclusi.

Quod